



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 2. Quanta in Nabuchodonosore facta sit metamorphosis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Et rore cali corpus eius infectum est; donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & unguis eius quasi animum.

§. II.

Quanta in Nabuchodonosore facta sit metamorphosis?

Hæc quanta regis fuit metamorphosis? Cor eius ab humano in cor fera commutatur, & ex sapiente fit amens. Pro torquibus, armillis, & annulis, vinculo ferreo & aereo alligatur. Quando enim in amentiam versus cœpit delira fari, atque insanire, mox ne sibi & alijs noceret, compedibus astrictus fuit, manicisque vinctus & inclusus. Denique autem monitu Danielis solutus compedibus, ex regia domo, & palatio suo, in quo floruerat, aufugit in silvas, retentis manicis ferreis in manibus, ne illæ coniungi possent, neque ijs vteretur ut homo, sed ut illis disunctis reperet ad herbas more bestiarum. Idcirco enim dicitur: *Alligetur vinculo ferreo & aereo in herbis.* Itaque, qui erectus antea incedebat, postea deiectus coactus est repere; qui prius sub auratis tectis habitabat, postea debuit manere sub Ioue frigido; qui prius tot satrapas & magnam aulicorum turbam coronam-

ronamque habuit circumstantem, iam inter ceruos & lupos, inter apros & vrsos, inter leones & dracones versabatur; qui antehac fercula videbat in mensam inferri, quorum ne numerandi quidem, ne dum edundi copia erat, postea pro lautitijs regijs, *facnum ut bos comedit*; qui antea comitus caesariem calamistris crispabat, & vnguentis Arabicis imbuebat, postea illi crescebant *capilli in similitudinem aquilarum*; cuius digiti antea gemmis, velut caelum stellis lucebant, postea *ungues quasi anium*, aut falconis hamabantur. Et haec omnia, per septem annos, est passus, ut tanto acerbius, quanto diutius deprimeretur; passusque est, postquam iam triginta septem annis regnavit, ut tanto tempore assuetus delitijs, grauius sentiret calamitates inexpertus. Nonne haec magna est metamorphosis?

Dan. 4
30.

§. III.

Non esse parabolam sed veram historiam regis Nabuchodonosoris.

Maior apparebit haec mutatio, si quid non sit, & quid sit, in aprium deducamus. Etenim magnitudine prodigij adductus Origenes cum suis, aulus est affirmare, haec de

de